

Arhmy burs Vint
Dithm ee somm
taphora Crayn i g
Spruch medilino Prach
Car Spruchij. 220
Lumpen 26
Summa 220

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

De 20.

Ma 4301

Disputationes

duæ:

PRIOR,

DE SOMNO ET

VIGILIA:

POSTERIOR,

DE COMATE SEV

CATAPHORA: *Cataphora*

Habita in Auditorio Medicorum

BASILIENSIVM

ab

ANDREA CHRISTIANO
RIPENSI.

Adiuncta est QVAESTIO ab eo-
dem in publico Promotionis
Actu discussa:

Sit' ne pestis morbus contagiosus?

BASILEAE, TYPIS OPO-
rinianis. 1583.

6

MAGNIFICENTIA

DE UNIVERSITATE

WITTEBERGENSIS

ACADEMIAE

DE SOMMER

FIGURA

DE UNIVERSITATE

WITTEBERGENSIS

ACADEMIAE

DE UNIVERSITATE

WITTEBERGENSIS

ACADEMIAE

DE UNIVERSITATE

WITTEBERGENSIS

ACADEMIAE

DE UNIVERSITATE

WITTEBERGENSIS

ACADEMIAE



M A G N I F I C I S,
CLARISSIMIS ATQVE OR-
natissimis uiris, Rectori, Senatori-
bus & Professoribus Academiae
Hafniensis, Dominis ac Praecepto-
ribus suis unice colendis,

S. P. D.



*VI Strenuos in panegyricis
ludis atq; certaminibus sese
olim exhibuerunt, Patres
& Praeceptores obseruan-
di, superioresq; euaserunt, βαββία seu pal-
mae merita praemia, coronas ab agonothe-
tis consecuti, illas in aras Deorum tutela-
rium spargere consueuerunt: hoc ritu te-
stati, tum Dijs acceptam ferendam ex ar-
mi sententia partam uictoriam, non pro-
prijs uiribus, tum illorum cultui, si non
omne honoris fructum, saltem primitias
libandas esse.*

A 2

Similo

Simile quiddam in solennibus promotionum actibus usuuenire, nemo, meo iudicio, inficias iuerit. Sunt enim tituli, qui in his festiuitatibus conferuntur, laborū quos iam pridem candidati sustinuerunt, premia. Laborum, inquam, nō uictoriae. Nam ut ignauos ab his sacris in quauis benè constituta Academia prohiberi & arceri fas est: ita eorundem participes reddi illos duntaxat, qui licet non totum facultatis suae stadium (cui uix pluriū, nedum unius aetas sufficit) cursu demensi sunt, aut ad carceres peruenerunt: tamen aliquosque recta uia haud segniter progressi, ac in posterum pari modo cum Reipub. emolumento perrecturi, certis editis speciminibus, tanquam tyrocinijs, uidentur, nemo mihi indubium uocauerit.

Ad hunc solennitatum nostrarum
usum

usum maximum accedit & alius, quòd
inaugurationis cuiusdam aspectabilia sint
insignia, quæ perpetuò in memoriam ei,
cui decernuntur, reuocant & redigunt:
non quiescendum, aut in utramuis au-
rem securè dormiendum, sed mente &
corpore in hoc incumbendum, ut gloria
& ornamenta parata ab omni detrimen-
to sarta & tecta conseruentur: talia e-
nim esse, quæ neque nocturnæ, neque diur-
næ quietis partem relinquunt, donec fru-
ctus Deo gratos & hominibus salutare
proferant.

Hac de re nò multis retrò abhinc die-
bus, quibus de meo in arte Medica pro-
gressu, à celeberrimo ordine Asclepiadeo
in Academia Basiliensi, iudicium est ha-
bitum, & ob spem aliquam de me conce-
ptam honores mihi in hac Facultate sum-

A 3 mi

mi tributi, cogitationem sedulam institue-
re, eamq̄ suo momēto ponderare capi. Ne-
que id miuria. Agnosco enim æquissimū
esse, hæc laborum præmia (si præmia sint)
Deo Opt. Max. cum gratiarum actione
à me libari: qui clementer ad difficul-
tes, quæ hæctenus se mihi obiecerunt, supe-
randas, vires nervosq̄ suppeditavit. Sed
quòd ardui difficilisq̄ muneris curam &
rationem habendam sollicitè admonent, ei-
dem precibus offerēda esse deuotissimis, cō-
siliū duco: eumq̄ toto corde precor, ut,
quod in me operatus est, cōfirmet, vires fir-
miores tanquā subsidia submittat, consi-
lijs & actionibus meis regendo, iuuando,
perficiendo adsistat: ne honos iste humeris
meis onus graue nimis existat, ac robore in-
genij, per se infirmi, depresso, omni fru-
ctu priuetur: quin potius frugiferum in
ipsius

ipsius laudem multorumq; felicitatem ap-
pareat.

Talia mihi, Praeceptores obseruandi,
ultrò citroq; animo uersanti, mentem eti-
am subiit non minus uerum, quàm tri-
tum illud prouerbium, Hominem homini
Deum esse: uosq; huius, qualiscunque sit,
Studiorum fructus non solum semina iecis-
se, fidelissimè in meum, unà cum alijs, pe-
ctus praecepta uirtutis & doctrina instil-
lando: uerum etiam tum alijs plurimis ma-
ximisq; beneficijs me praè alijs afficiendo,
tum consentientibus omnium suffragijs
me stipendij Regij ante octennium suc-
cessorem nominando, horum seminum a-
grum, aliàs minus fœcundum futurum,
uelut inductis hinc inde riuulis, abundè
rigasse. Quibus causis motus, non me
contineo, quin hanc qualemcunque coro-

A 4 nam,

nam, capiti meo detractam, uobis secundum Deum, primitiarum instar, deferendam existimem.

Accipite itaque, & benigne complerimini, Viri Clarissimi, Patres & Praeceptores humanissimi, manipulos hosce primitiarum exiles, uobis consecratos: tria scilicet, quae, antequam ad dignitates medicas aditus mihi patefieret, publice edidi, eruditionis specimina, meritis quidem illis, quibus me ab ineunte ferè etate prosecuti estis, & nominis uestri splendori minimè conferenda, sed grati uestriq; studiosi animi indicia: fructus uberiores, si, fauente numine, uita messi prorogata fuerit, aliquando expectaturi. Interim me, non secus atque haectenus, fidei uestrae commissum esse patimini, atque uniuersim ac sigillatim

tim Deo Alexicaco summo commenda-
ti feliciter ualete. Basilee, Kal.
Martijs, Anno
1583.

AA VV.

Obferuantiff.

Andreas Christia-
nus Ripensis.

DE SOMNO ET VI-

GILIA THESES, AD
disputandum pro-
positæ,

PRAESIDE CL. V. D. THO-
MA ERASTO, Philosopho
& Medico,

A
M. ANDREA CHRISTIA
NO RIPENSI.

I.



Xtra controuersiam est, animal
uigilare dū sensuū officia exer-
cet. & per somnum sensuū fun-
ctione ferè prohiberi.

II.

Ex contrariorū lege illud quoq; explo-
ratum & perspectum est: id esse utriusque
subiectum, quo animal sentire dicitur:
ideoq; nō partis alicuius peculiaris, sed ip-
sius animalis affectionem esse tam somnū,
quàm uigiliam.

III.

Qua ratione assecutus mihi uideor, uigi-
liā esse animalis affectionem, qua presente
sensationes

sensiones externas expromit: somnum uero, qua sensuum eorundem actiones magna ex parte remittit.

III.

Via hac strata, ad inuestigandas causas somnum & uigiliam efficientes rectè itur. Nam ut illa, quæ ad sensationem requiruntur, uigiliæ causæ rectè statuuntur: ita eorundem defectum non iniuria somnū producere, uerisimile est.

V.

Ad sensationes aut, tum cōmunes causæ omnium, tum propriæ singularū, cōcurrunt.

VI.

Communes sunt, facultas, ipsius organa propria, nimirum, spiritus animales atq; cavitates & uiæ, per quas spiritus & facultas mouetur & influit: deniq; calidum innatum animæ commune instrumentum, quod motu & præsentia sua prædictos spiritus, ut omnes reliquarum actionum proprias & immediatas causas, in actū educit.

VII.

Propriæ sunt, sensoria, nerui sensorijs inseruientes, eorumq; usui priuatim destinati, obiecta, & in quibusdam definitum interuallum: quas causas omnes legitimè se-
se

se habere, ut sensio obeatur, necesse est.

VIII.

Facultatem cōmunem uoco illam, quæ à sensuum principio, puta, prioribus cerebri uentriculis potissimùm, in singula sensoria influit, quæq; sensiones apprehendit: cui muneri accommodatã se præbet, cùm nec corrupta, nec occupata in alio opere, nec debilitata nimis, nec denique alio modo impedita est.

IX.

Spiritus animales tunc ad sensationem efficiendam idonei sunt, cùm quantitate & qualitate, &c. rectè habentibus, motus eorum, ad hanc functionem necessarius, non impeditur.

X.

Calidum innatum sensibus suum ministerium præstat, cum ad cerebri uentriculos, & ad sensoria quælibet, liberè & sufficienti copia mouetur.

XI.

Ad utriusq; (calidi scilicet & spirituum) motum requiruntur cavitates & uia non occlusæ, sed expeditæ.

XII.

Iam uerò, quum communes sint omnibus

bus sensibus affectiones, somnus & uigilia,
& peculiare sensationum causæ eadem,
siue dormiamus, siue uigilemus, manere
possint (utpote nerui expediti, sensorio-
rum naturalis structura, obiecta debito in-
teruallo admota) quemadmodum com-
munibus causis agentibus, uigilias ut ad-
æquatum effectum adscribimus: sic iisdem
uel omnibus, uel quibusdam deficienti-
bus, immediatè somnum omnem adscri-
bendum arbitramur.

XIII.

Atqui in somno cauitates & uigilæ sæpenu-
merò non impediuntur, præsertim cum ex
uacuatione, labore & uigilia nimia som-
nus obrepit: & si quando occlusæ somnū
inducunt, id, nisi rebus alijs interuenienti-
bus, non usuuenit.

XIIII.

Nec facultas ipsa sentiendi communis,
siue occupata, siue corrupta, siue debilita-
ta, somnum semper gignit. Quia somnus
obrepit incolumi prorsus animali, & impri-
mis nulli rei sedulò incumbente.

XV.

Calidum innatum à corde influens, cum
ex consensu Philosophorum & Medico-
rum

rum determinatis partium actionibus non
nisi generali ratione conferat (hoc est, actū
præbendo spiritui & calido insito singulis
partibus naturaliter uel secus dispositis)
propria & per se causa somni esse nequit.

XVI.

Neq; est quòd putemus, ipsius præsen-
tia & motu somni tempore cerebrum de-
stitui, cum etiam dormientes uiuant, ima-
ginentur, moueantur, pulsus habeant ma-
iores, concoquant felicius in cerebro ali-
menta, excrementa mitigent & digerant,
spiritus animales instaurent: quæ sine calo-
ris insigni copia & motu fieri nequeunt: ut
interim taceam ruborem faciei, sudorem
capitis dormientium, reuocationem calo-
ris in syncope, animi deliquijs, febrium ac-
cessionibus, & frigore magno, absq; som-
no: quæ, defectū caloris non esse proximā
somni causam, satis firmiter conuincunt.

XVII.

Reliquum est igitur, ut causam primam
& per se omnis somni concludamus esse
sensus communis impedimentū, idq; eue-
nire eo, quòd spiritus animales in sensuū
omnium fonte uelut torpescentes deti-
neantur.

XVIII.

XVIII.

Quibus iactis fundamentis, nullo labore plenas definitiones uigiliæ somniq; in hunc modum construere licebit.

XIX.

Vigilia est affectio animalis, qua sensationes omnes exerceri possunt, à libero spirituum animalium in uentriculis cerebri anterioribus, necnon facultatis sensificæ ad sensoria motu orta.

XX.

Sõnus est affectio, qua sensationes omnes plurimum remittuntur facultate communi in suis operationibus frustrata, ob spirituum animalium in uentriculis cerebri, præsertim anterioribus, contentorum ignauiam quandam.

XXI.

Neq; arduum erit hinc ad causas antecedentes & euidentes somni & uigiliæ ascendere. Nam ut illa, quæ spirituum motui quouis modo obsistunt, somni causæ statuuntur: ita quæ in causa sunt, ut ijdem uehementius agitentur, uigilias efficere rectè putantur. unde consentaneum est, causas omnes uel in mobili ipso, nempe spiritibus, uel in mouente,

movente, uel in uijs seu cavitatibus, per
quas fit motus, consistere.

XXII.

Ad quæ capita referri omnino debent,
quæ assumuntur, geruntur, educuntur &
retinentur, atque foris adhibentur, modò
quidpiam ad somnum conciliandum con-
ferant, aut somnum pellere queant.

XXIII.

Spiritus animales ad motum reddun-
tur inepti duobus modis, qualitate incon-
uenienti & inopia.

XXIV.

Qualitatem mutant primò sola altera-
tione, cum refrigerantur, densantur & co-
guntur. Ad quod insignem uim habent, fri-
gida intèperies cerebri, assumpta, ambien-
tia & exterius admota refrigerantia: ut
Opium, Mandragora, aquæ potio, aer frigi-
dus: eo quòd per uenas & arterias in cor
& uniuersum corpus frigus condensans
mittunt.

XXV.

Econtra, calida, siccantia & attenuantia
mobiliores spiritus reddunt: quo nomine
phrenitici difficillimè somnum capiunt.

B

XXVI.

XXVI.

Secundò, admixtione uaporum humidorum & crassorum, quorum ratione humida cerebri intemperies, ætas puerilis, balnea humida, uaporosi odores, cibi humidi, potatio larga, & febres inprimis pituitosæ, spiritus animales obtundunt, qui obtusiores segnioresq; facti ignauiam & somnum hominibus afferunt.

XXVII.

Vaporibus autem his absumptis, aut propter contrarias causas deficientibus, somnus arcetur.

XXVIII.

Inopiâ imbecilles adeò redduntur spiritus, ut sensibus motu suo ministrare, ut par est, amplius nequeant. Huius autem causæ sunt omnia quæ sanguinem, spirituam materiam, ipsosq; spiritus quoquo modo absumunt, diminuunt, digerunt & dissipant: ut sunt, dolor, ira, tristitia, curæ & cogitationes immodicæ, lectio attentata & longa, uenæ sectio, purgatio, uenus, fletus, labor, inedia, æstiuus calor, balnea.

XXIX.

His & similibus de causis intus sibi à motu concitatore temperant spiritus (natura cerebri

Cerebri ita dispensante, ut aliarum partium
usibus non concedat, quo ipsum carere ne
quit) donec nutrimento, si quod adest, in
sanguinem & spiritus cōuerso, augeantur
refocillenturq; ut postea ad sensus & alias
animales actiones peragendas redeant, &
postliminio reuocentur.

XXX.

In mouente, causa somni tripliciter con-
sistit. Primò quidem, cū nihil est quod effa-
tu dignum spiritibus motum inferat. Hinc
in silentio, tenebris, sublatis sensuum ob-
iectis, cogitationibus amotis: perturbatio-
nibus animi, ira, gaudio, risu, dolore item
passionēue partis alicuius sedatis, in som-
num facilius dilabimur. Huc refer etiā pur-
gationem ab aloë factam, quæ acres humo-
res demit aut minuit, ne spiritus amplius
commoueant.

XXXI.

Secūddò, cū mouens quidem adest, sed
blandum solummodò motum ciens, uali-
diorem sedans. Sic consuetudo (quæ alte-
ra natura est) uoluntas nostra, mollis strepi-
tus, cantus, murmura aquarum, titillatio
suavis, lectio cogitatioq; parū attenta, mo-
tus cunarum, & si quæ sunt alia eiusdem ge-

neris, spiritus placidè sistunt, & à motu ad quietem inuitant, atque ita prohibent ne diffluant.

XXXII.

Tertiò, quando aliquid est quod cogit intrò, & ueluti concentrat spiritus: ut refrigerantia & adstringentia, hyems, pluuia, oxyrhodina.

XXXIII.

Quæ uerò uehementius mouent, exagitant & prouocant, spiritus uigilare cogunt: qualia sunt dolores, humores & uapores acres, quorù in febribus, præsertim ardentibus & biliosis, magna uis est, lectio & cogitatio attentata, graues curæ, clamor, strepitus nimius, uellicatio, punctio, & quæuis durior contrectatio, &c.

XXXIV.

Viæ per quas spiritus ferri consueuerunt, ad somnum inducendũ uim habent, quoties occluduntur, siue à comprimantibus, ut sunt uulnera, contusiones capitis, inflammationes cerebri portionem occupantes: siue ab obstructibus, ut sunt humores multi, crassi, uiscidi (quos fundendo quãdoq; solis calor aut larga uini potatio somnum creat) item uapores similis naturæ à cibo, potu,

potu, aut humoribus intus contentis, elati.

XXXV.

Quæ uerò easdem uias expediunt, obstructionis & compressionis causis, quas diximus, superatis, somnum abrumpunt. Quo nomine senio confectos, quibus, ob siccitatem solidorum membrorum, cauitates ampliores sunt, somnus arctius nō complectitur.

XXXVI.

Atq; hætenus de efficiēte & forma somni & uigiliæ. Finis uerò utriusq; est actionum integritas & animalis conseruatio.

XXXVII.

Porrò, sicuti proxima somni causa, torpor spirituum suas assumit differentias, uariaturq; mutatis suis effectricibus causis: quarum uarietas potissimùm spectari potest, tum in actionis mora & uehementia, tum in subiecti corporis, in quo huiusmodi editur actio, diuersimoda & multiplici constitutione: ita nemini admirationi erit, somni plures differentias reperiri.

XXXVIII.

Communi horum omnium consideratione, somnus alius naturalis est, alius præter naturam, alius medius.

B 3

XXXIX.

XXXIX.

Naturalis est, qui in corporibus rectè affectis, secundum cuiusq; naturam à causis naturalibus & moderatis, debito tempore & modo, utiliterq; spiritus animales sistentibus & detinentibus oritur.

XL.

Somnus præter naturam est, qui à morbosis causis immoderatisq; prouenit, atq; semper cū difficultate excitandi dormientem relinquit.

XLI.

Medius somnus est, qui à causis non planè moderatis, nec prorsus præter naturam conciliatur.

XLII.

Si moram actionis causarum & quietis spirituum respiciamus, ea primò uel est continua, uel intercisa: unde somnus alius continuatus, alius interruptus.

XLIII.

Secundò eadem mora uel est longa, uel breuis, uel mediocris: & longum, breuem uel mediocre somnum concitat.

XLIII.

Si robur & uehementiam actionis spectemus, aut ualidè ligantur spiritus, & propterea

pterea parum facultatis sensificę membris
mittitur, somnusq; profundus consequi-
tur: aut leuiter duntaxat, & somnus leuis
existit.

XLV.

Harum differentiarum causas nō unius
generis esse facile animaduertet, qui atten-
tius singulas, quas suprā proposuimus, clas-
ses examinauerit, & ad limam reuocauerit.
Exemplo palam fiet quod astruo. Pro-
fundior somnus primus est, tum quia à ci-
bo sumpto plures ascendunt uapores, qui
spiritus animales arctè circumsepiunt, cin-
gunt, & in angustias quasdam, quo minus
moueantur, redigunt, sui quoq; confusio-
ne eisdem inquinando ut crassiores, ita
ignauiores reddunt: tum quia per uigilias
& diuini operas spirituum pars bona disso-
luta est.

XLVI.

Subiectum corpus innumeras ferè som-
ni differentias suppeditare potest. Etenim
tot ferè existunt illæ, quot hominum tem-
peramenta, habitus, ætates, sexus, uictus &
uitæ rationes, consuetudines dormiendi
& uigilandi, deniq; corporis totius & par-
tium singularum diuersæ constitutiones.

B 4 XLVII.

XLVII.

Vnde alius temperati, alius intemperati, calidi, frigidi, humidi, sicci, &c. somnus est: alius obesi, alius macilenti: alius pueri, alius senis: alius exercitati, alius sedentarij: alius repleti humore uel cibo, nuper aut dudum assumpto, alius uacui: alius sani, alius ægri: febricitantis, inflammatione laborantis, stomachi uiscerumue cruditate, aut alio malo affecti, & uel in principio, uel augmento, uel statu, uel declinatione morbi uersantis.

XLVIII.

His addere licebit, si libet, alias quasi honorarias differentias, à uarijs somni adiunctis sumptas, nimirum à motibus internis & externis, qui inter dormiendū accidūt: item situ corporis, loco & tēpore, quo nos somno damus.

XLIX.

Quidā enim somno occupati nihil somniant, & somno tranquillo fruuntur: alij uerò insomnijs turbantur, & somno turbulento premuntur. qui rursus aut molestus aut iocundus est, prout ea quæ per insomnia suggerūtur, aut mali aut boni specie animo obuersantur.

L.

L.

Alius insuper somnus cum clamore, deambulatione, aut alterius negotij molitione, item cum stertore, dentium fremitu, & si quæ sunt huiusmodi alia, euenit: alius sine his.

L I.

Quantum ad situm corporis: alius somnus sedendo captatur, alius cubando, capite alto uel depresso, corpore supino aut prono, aut in latus dextrum sinistrumue recumbente. Quod ad locum: uel fit in loco calido, uel frigido, &c. in lecto uel molli, uel duro. Tandem ratione temporis, uel est nocturnus, uel diurnus: & hic uel matutinus, uel meridianus, uel uespertinus.

L II.

Quæ hætenus de differentijs somni diximus, prima quidem fronte exilia uidentur: maioris tamen momenti sunt ad effectus (quos in diætâ sanis pariter ac ægris præscribenda cognitos esse, plurimùm utilitatis habet) somni & uigiliæ inuestigandos.

L III.

Cæterùm cum actio nulla citra ministerium calidi innati fieri possit: ut functiones externæ obeantur, per uigilias ipsum foras

B 5 moueri

moueri necesse est: per somnū autem, dum partes extimæ actiones suas remittunt, & quodammodò ab illis feriantur, ideoq; calido influente minus indigent, intrò illud recipi (nisi quid obstat) ibiq; detineri, ad peragenda munia interna, rationi consonum est. Hinc uenit, ut somno intus hærentis, uigilijs exterius uersantis caloris effectus adscribantur.

LIIII.

Sed horum multiplex est uarietas: quæ partim naturæ somni attribuitur, partim uerò ex accidenti euenit, quia scilicet plures conditiones & cōtractioni caloris, pro diuersitate somni, & corpori seu materiæ in quâ calor contractus agit, superueniunt.

LV.

Horum trium iusta comparatio somni cuiuscunque & uigiliæ effecta definiet, & quibus, quomodo & quando profint uel obsint, patefaciet. Nos breuitatis & instituti nostri (à quo alienum foret omnia, quæ ad hanc rem pertinent, explicare) memores, paucis exemplis contenti erimus.

LVI.

Somnus itaque sua natura & primariò dormienti prodest, propterea quòd calore
intus

intus hærente, coctiones facilius perficiuntur: humores gignuntur & incalescunt, quibus corpus nutritur: calor & spiritus labore & uigilijs dissipatus, alio ad functionũ iugem & continuũ usum suffecto, instauratur: excrementa mitigantur & minuuntur: flatus in coctione geniti discutiuntur.

LVII.

Vigilia deinceps cõcoctum alimentum caloris motu per uniuersum corpus digerit, excrementa dissipat & expellit, externis partibus robur addit, estq; adiuumento, ut earum officia feliciter exercentur.

LVIII.

Secũdario somnus humectat: uigilia initio calefacit, & consequenter exiccat, humorem in corpore contentum dissoluens, discutiens & in aerem dissipans.

LIX.

Somnus mediocris (ut differentijs somni effectus accommodemus) qualem moderata natura postulat, quam experientia confirmatũ est, somno ad septem uel octo horarum spacium prorogato, commodè refici, quiq; nocturno tempore fit, assumpto cibo, dissolutoq; calore & spiritibus ob animi corporisq; præcedentes motiones, in
loco

loco commodo, & primùm in latus sinistrum, ut uentriculo concoquenti accedat calor ex decubitu: deinde in dextrum, ut facilius reddatur alimenti distributio: hic, inquam, somnus, quia perfectus est (cæteris paribus) confert.

LX.

Nimis uerò longus aut breuis somnus hominem detrimèto afficit, eo quòd uterque corpus extenuet: hic quidem nec concoquendo, nec augendo, sed dissoluendo humores ob uigilias: ille uerò uehementius humorem internum depascendo.

LXI.

Præterea longus & matutinus somnus, què legitimè peracta coctione captamus, plerunq; ignauiam, torporem & lassitudinem quandam efficit: aut quia excrementitios uapores antea separatos in profundum relabi, & cum spiritibus misceri sinit, qui incommoda prædicta adferunt, donec uel per motum resolutis ipsis, uel protracto amplius somno, spiritus denuò purificentur: aut quia in uentriculi ore retinetur humor inutilis, molestiam talem creas uel augēs. Nec alia ferè ratio est de somno meridiano præter consuetudinem admissio.

LXII.

LXII.

Quod de breui somno diximus, idem de turbulento & leui iudicandum est: quia non sinit in officina cōcoctionis, ut par est, calorem consistere.

LXIII.

Ad corpora quod attinet, & somnus & uigilia rectè affectis conducit: malè affectis alterum semper, raro utrunq; obest. uerbi gratia: Si interna uiscera humorum fluxionibus uexantur, ut in febrium uigore, uteri suffocatione, animi defectu & similibus casibus, calore ad interna uiscera compulso, somnus noxius est, & utilis uigilia.

LXIII.

Ex aduerso, si sanguis ad externas partes erumpit, aut corpus digeritur nimio sudore, aut alia uacuatione, item cum genitæ sunt inflammationes internæ, aut fiunt externæ, uigilia perniciofa est, somnus minimè.

LXV.

Sic uarias corporis alterationes efficiunt, prout materiam inueniunt hanc uel illam, eandemq; diuersimodè mutant. Nam somnus, causa exempli, concoquendo crudos humores & uertendo in sanguinem, item
si in

si in uisceribus inflammatio adest, calefacit:
refrigerat, quum humores febrem com-
mittentes alterat, segregat, & febrilem ca-
lorem extinguit: siccat deniq; ubi intus de-
est humor, aut paucus subest, quem calor
confestim absumit.

LXVI.

Tandem dolores capitis in cephalæa &
hemicrania, & alijs talibus morbis, graui-
tates item capitis & ebrietas somni bene-
ficio curantur uel leniuntur, humoribus &
uaporibus, qui in capite collecti e-
rant, concoctis aut di-
scussis.

DE

**DE COMATE, SIVE
CATAPHORA, THESES, PV.
blice ab eodem, supremam in Arte Medi-
ca Lauream consequendi causa.**

7. Febr. disputata.

I.



Omnius omnis præter naturã,
aut corpore instar congelati ri-
gente fit, aut sine tali rigore. il-
lum catalepsi appellat medi-
ci: hic uerò aut febrem perpe-
tuo concomitantem habet, ut Lethargus:
aut non perpetuo: & rursus, aut cum mo-
tus defectu hominem occupat (quod si cū
læsione respirationis eueniat, Apoplexia
nuncupatur: si citra eandem, Carus appel-
latur) aut absq; motus defectu, & hæc som-
ni species Coma seu Cataphora (pro eodē
enim hæ uoces ueteribus usurpantur) uo-
cari solet.

II.

Varia autē est Comatis significatio, cū
interdum quemlibet somnum, interdum
somnum præter naturam, interdum etiam
Lethargum denotare uideatur.

III.

III.

Nos in præsentiarum, imitatione ueterum medicorum, hac appellatione completimur propensionem ad somnum, quæ naturæ modum superat.

IV.

Vnde colligere licet, Coma seu Cataphoram, quoad symptoma est (nam & morbum huius symptomatis genitorem designat) esse pigritiam seu inclinationem ad somnum præter naturam, qua oculis conuiuentes egri dormire desiderant, siue desiderio suo frustrentur, siue in profundos aut leues somnos delabantur, absq; motus defectu, & non semper comitante febre.

V.

Ex iisdem manifestum est, in hac affectione, cum somni quædam species sit, actiones sensuum exteriorum omnes, si non abolitæ, saltem diminutæ esse: quod nequam euenit, nisi principalis seu communis sensus affectus sit, & malè habeat.

VI.

At uerò, cum nulla actio lædi possit, nisi mutata naturali instrumenti, per quod actio exercetur, constitutione, communis sensus instrumentum in hoc malo uitiosa aliqua dispositum.

dispositione affectum esse necesse est.

VII.

Illud autem instrumentum esse cerebri anteriorem partem, confirmant remedia ad somnum conciliandum & excitandum adhiberi hoc loco solita: & motus (cui inferuientes nerui, citra controuersiam à posteriori parte oriuntur) per somnum, collatus cum sensu, liberior.

VIII.

Huius itaq; dispositio aliqua aut similis, aut instrumentalis, aut communis est, quæ Cataphoram inducit.

IX.

Similarem non esse, id argumento est, quod non quauis minima cerebri portione offensa, somnus obrepat, quodq; epota & natibus admota somnū efficiant, priusquam temperiem cerebri mutant.

X.

Comunis quoq; morbus Comatis causa esse nequit: quoniam interdum cerebri portiones eximuntur, nullo interim eueniente huiusmodi malo.

XI.

Ab organico itaq; morbo, tanquā à causa pro-

C

sa pro-

sa proxima, Cataphorá prouenire statuendum est.

XII.

Sed & hunc, re bene perspecta, nemo dixerit esse uitium magnitudinis, numeri, figuræ uel situs partium solidarum cerebri. Quomodo enim has dispositiones mutari existimabimus, cū clamore & duriori contrectatione ægri quandoq; excitantur?

XIII.

Si cavitatis offensas obijciat aliquis, seu obstructions: dicimus eas nec omnis Comatis, præsertim uigilis, nec continentem & proximam esse causam.

XIIII.

Quare nihil, cui hanc somni differentiã adscribere possimus, arbitror superesse, nisi spirituum animalium (qui motu suo sensibus omnibus inserviunt) in uentriculis cerebri anterioribus diminutum motum, & uelut pigritiam quandam præter naturam, certis conditionibus circumscriptam.

XV.

Quæ cū ita sese habeant, Cataphoram pro morbo acceptam hac definitione exprimemus: ut sit dispositio somniculosa priorum cerebri uentriculorum, sine febre perpetua

perpetua atque motus defectu, à torpore quodam spirituum animalium præter naturam orta.

XVI.

Porro, quemadmodum hic torpor non uniformis semper est, sed varijs gradibus, quibus à spirituum motione naturali recedit, distinguitur: ita plures Comatis differentiae obseruatae sunt.

XVII.

Etenim quandoq; sincerus est, quandoque agitatione aliqua permistus & uelut turbatus.

XVIII.

Si sincerus sit, ut nulla ei agitatio spirituum reluctetur, *νωμα* absolutè, uel cum adiectione *υπνωδες*, dictum constituit, in quo sine mora ægri somno tali opprimuntur, ut difficulter excitentur, similes ijs iacentes, qui naturaliter & profundè dormiunt.

XIX.

Hoc genus rursum, pro maiori minoriq; spirituum sedatione, & somni, qui sequitur, discrimine, in leue & profundum Coma distribuitur.

XX.

Si cum motu & concitatione permista

C z c&

est spirituum quies, ut nec motus ad ueras
uigilias, nec quies ad somnum sufficiat, & χ
ὄπνωδης ἢ ἀγρυπνορ κῶμα gignit, in quo licet
clausis oculis iaceant ægri, uelut spe somni
conciliandi, tamen dormire nequeunt, sed
plurimum uigilant, surgunt interdum, uigi-
lantium autem munia obire non possunt.
hanc speciem ueterum nonnulli Catochū
nominarunt.

XXI.

Comati uigili nonnunquā ob spirituum
inordinatam admodum exagitationē per-
turbationemq; accedit delirium: nonnun-
quam minori existente causæ ui, citra de-
lirium cataphora infestat.

XXII.

Cum delirio est, quando ægri promptis-
sime ad exurgendum existunt, uocem ac so-
num omnem facillimè audiūt, corpus præ-
ter rationem iactant, ineptè loquūtur, atq;
ab alienata mente sæpe exiliunt.

XXIII.

Et quia Cataphora hæc inter Phrenitim
& Lethargū ambigit & oberrat, adeò ut in
horum alterum transire possit, diuiditur in
Cataphoram torpidam (lentam, pigram &
segnem quidam uocāt) quā λεθαργοφρενίτις
appellant,

appellant, & in non torpidam, quæ generis nomen retinet, uel φρενιτιλίθαργος nuncupatur.

XXIV.

In lenta enim ægri surgentes magis sapiunt, & nō multum mouentur, modò dormiunt, modò uigilant, & tunc magis desipiunt, quum ad Coma deferuntur.

XXV.

In altera specie, multum & concitatiùs mouentur ægri, ut rarò uociferari, partemue aliquam mouere desinant, & si excitentur aut compellantur, incompositè adstantes intueantur, grauiter delirent, & maliquidpiam alijs inferre conentur, paulò inferiores his, qui extremè desipiunt.

XXVI.

Promptum modò est, causas huius uitij uenari, siquidem hoc fundamentū iactum sit: scilicet omne id, quod præter naturam cerebrum afficiens, spiritus sistere potest, ut interim nec febrem generet, nec motū auferat, ui sua Cataphorā posse inducere: & si copuletur etiam aliquid, eosdem spiritus commouens & exagitans, uigilis Comatis causam existere.

C §

XXVII.

XXVII.

Quo substrato, in serie earum rerum, quæ somnum in uniuersum inducunt, animum circumferenti, quædam occurrent causæ imbecilles ad eò, ut naturalem uel mediũ potius somnum, quàm Cataphoram gignant, eæ scilicet, quæ motum uel nullum, uel blandum spiritibus inferunt, & eosdẽ minuunt: quædam ualentes admodum, ut Carum atq; Apoplexiam efficiant (in quibus, contra ac in Comate, uix, aut ne uix quidem, clamore uel licatione uel excitantur ægri, ut sentiant uel respondeant) nempe humor aut externa uiolentia replendo, aut comprimendo uias spirituum penitus impediens.

XXVIII.

Itaq;, quantum quidem ad præsens institutum attinet, spiritus sopiuntur, primũ, ab illis, quæ impensè refrigerando densant atq; cogunt: tum adsumpta in cibo, potu uel medicamentis: tum etiam exterius supra modum usurpata.

XXIX.

Secundò, ab ijs, quæ eosdem spiritus sui admistione turbulentos crassosq; & torpidiores reddunt, quo in numero uapores pituitosi,

pituitosi, crafsi ac lenti habentur.

XXX.

Tertiò, ab ijs, quæ obstruendo uias occludunt, & spiritus undiq; ftipant: quales sunt uapores itidem pituitosi, multi atq; contumaces, ipsaq; adeò pituita, quæ tamen non omnino uentriculos occupet.

XXXI.

In uigili Comate spiritus exagitantur, tñ ab humoribus, tum à uaporibus pituitosis & biliosis, acrimonia, caliditate, maligna qualitate uel putredine, molestantibus.

XXXII.

Putredine, inquam, mistæ materiæ, leuï aut etiam extra cerebrum concepta: cõtrario enim modo sese habens, nõ Coma, sed uerum Lethargum, uel Phrenitim causat.

XXXIII.

Vapores prædicti uel in cerebro nati sunt, uel aliunde eò conscenderunt: quo nomine aliam per se, aliam per cõsensum Cataphoram statuere licet.

XXXIV.

Semper nihilominus ab humore aliquo, uel pituitoso, uel cui bilis mista sit, resolutio suscitari fumos illos consentaneum est,

C 4 ideoq;

ideoq; hoc loco duplex causarum antecedentium genus requiritur.

XXXV.

Vnum est earum, quæ generationi pituitæ accommodatæ sunt, ut frigida intemperies capitis, ventriculi aut epatis; totius corporis cacochymia: uictus ac uitæ ratio, ætas, item aeris, ob regionem, habitationem, uel anni tempus, constitutio coaceruandæ pituitæ idonea: uacuationum consuetarum & exercitiorum intermissio. Eodem pacto res in bile habet.

XXXVI.

Alterum est earum, quæ humorem prædictum in fumos resoluunt, eosq; à parte mandante ad caput attollunt, quæ proculdubio ex calefacientium genere sunt. hinc in febribus pituitosis atq; biliosis: item ab ebrietate, exercitio, à nimio æstu solis, balneo, & alijs huiusmodi causis prægressis, inuadere consuevit Cataphora.

XXXVII.

His addenda est debilitas capitis, nempe partis recipientis, quam procreant, humida intemperies cerebri, curæ, studia nimia, & alia eiusdem farinae, ex eorum, quæ assumuntur, geruntur, educuntur & retinentur

mentur atq; foris adhibentur, numero.

XXXVIII.

Prognostica signa uariant pro differenti-
arum, causarum & symptomatum conse-
quentium diuersitate. Quanto enim hæc à
naturæ modo longius recedunt, tanto ma-
lum est deterius & periculosius.

XXXIX.

Coma igitur uigil somnolento, non pi-
grum pigro, perniciosius est.

XL.

Quæ à causa maligna prouenit Catapho-
ra, exitiosa est, quemadmodum & illa quæ
in febribus ardentibus & prauis oritur.

XLI.

Periculum etiam maximum minantur,
uehemens delirium, iactatio corporis per-
petua, toruus aspectus, capitis intensus ca-
lor, excretiones alui & urinæ subsistentes.

XLII.

Coma, quia morbus est, per cōtraria tol-
lendus uenit: & quia siens morbus est, qui
à causa coniuncta conseruatur, causæ abla-
tione indiget, ut curetur.

XLIII.

Causa illa pituita & bilis est, nec nō utri-
usq; uapor. huius igitur copia in capite ni-
mia,

mia, siue ibidem genita est, siue aliunde aduenit, uacuatione sensibili & insensibili minui debet: quod fiet errhinis, apophlegmatismis, dropacibus, sinapismis, item discutientibus.

XLIII.

Hoc cum fieri nequeat citra opem calidorum remediorum, ne illa plus attrahant è subiectis partibus, quàm dissipent, præmitti debet superuacuorum, quæ malum augere & fouere possunt, è corpore reliquo inanitio.

XLV.

Si aliunde efferatur materia, cum id absque motu non fiat, contrarius illi induendus est, uarijs reuulsionum generibus (repulsionem non admittit cerebri structura & nobilitas) ut frictionibus, ligaturis, sanguinis missione, &c.

XLVI.

Præterea, cum non possit humor moueri nec fumos de se fundere, nisi abundet, suaq; tum quantitate, tum qualitate molestiam corpori creet, ideo hic quoq; uacuationem & alterationem poscit. Interim prohibendum est, ne amplius infestet.

XLVII.

XLVII.

Hoc quidē obtinebimus, errores in dia-
ta, qui pituitæ uel bilis prouentum effici-
unt, præscindendo, intemperies partium
emendando, easdemq; roborando: illud
uerò, administrata prius uiarum hu-
morumq; præparatione,
uacuando.

QVAESTIO

QVÆSTIO IN PVBLI-
CO PROMOTIONIS
actu discussa:

Sit'ne pestis morbus con-
tagiosus?

Nihil tam rectè aut uerè dici, quin
male interpretādo, cauillandoq;
depruari, aut in dubium trahi
possit, unico propositæ questionis
exemplo euidentissimum est. Nam tamen si
tanta certitudinis sit, Pestem cōtagione sese
ab egro in alios homines propagare, ut qui
de hoc ambigit, incertus esse uideatur, an sol
media die supra horizontem nostrum uerse-
tur: nihilominus inueniuntur nonnulli, qui
nodum in scirpo quærentes, huic sese acriter
opponunt. In quorum gratiam, cum à uiro
undiquaq; celeberrimo, Promotore meo ob-
seruando, Thesis hæc mihi uentilanda obla-
ta sit: à uobis, Auditores ornatissimi, quāta
possum sollicitudine, & erga unumquemque
honoris significatione, peto: ut ueniam mihi
benignè detis, aduersus Scepticos istos, con-
tracto

tracto planoq; sermone, agendi, atq; uerita-
tem, pro uirili mea, à calumnijs iniquis uin-
dicandi. Quod officiũ à uobis operosius con-
tenderem, nisi æquanimitas uestra abunde
mihi iam dudum perspecta esset, & in com-
militone meo audiendo confirmata.

Vt itaq; munus nobis demãdatũ obeamus,
non abs re erit, ex partium questionis nostræ
declaratione, natiuã ipsius sententiam elice-
re, adeoq; scopum cõspicuum figere, in quem
uniuersa argumentorum tela colliment. Pro
confesso igitur accipimus, Pestem non esse ex
numero illorum morborum, qui, diuersi ge-
neris existentes, in una uel pluribus regioni-
bus uagantur, quosq; Sporadicos Medici ap-
pellitant, sed in Communibus dictis recenseri
dam esse. Quoniam eiusdem generis morbus
cum sit; plures infestat. Cum insuper non
unitantum regioni familiaris & uernacua
existat, sed pluribus, pro natura suæ mali-
tia, negocium facessere possit, non Ε' υδ' ημιοϋ
sed Ε' πιδ' ημιοϋ aegritudinis genus haberi de-
bet. Nimis præterea notum est, Pestem plu-
rimos neci dare, paucis salutem promittere.
Vnde omnibus in unũ fasciculum colligatis,
Pestis

*Pestis morbus est sua natura communis at-
que lethalis, plures regiones infestare accom-
moda. Contagij nomine exaudiri uolumus
ipsam communicationem morbi factam, à
corpore uno in aliud, transmissis seminarijs
(puta, uaporibus uel humoribus) quæ aegritu-
dinis similis cause sint: & propterea Conta-
giosos morbos illos dicimus, qui seminaria ge-
gnunt huiusmodi potestate instructa, eaq; in
corpora sana transfundunt. Iam ergo obuiū
est cuiq; cum in cōtrouersia uocamus, Sit ne
pestis morbus contagiosus, id inquirendum
proponi, an Morbus is, qui pluribus regionib;
& hominibus exitiosus esse consuevit, aptus
sit de suo subiecto in aliud inferre semina,
quæ eandem pernicipi formam expriment.
Quod disceptaturi, eos imitabimur, qui ur-
bi cuiquam aduersus hostiles incursus pru-
denter prospiciunt. Quemadmodum enim
hi muros, ualla, propugnacula extruunt: om-
nis generis impedimenta conquirunt, prius-
quam obsidionem hostis paret: postea & fe-
licius & tutius insidias præcauent, & impe-
tum quemuis fortius sustinent, ciuitatemq;
propugnant: sic nos argumenta præmitte-
mus,*

mus, quibus nostra ueriorq; sententia, Pestem contagiosam esse, munitur: subiunctus
ui illa, quibus hanc alij euertere entuntur.

Atque inprimis quidem uidentur illi
principia negare, caeloq; bellum indicere, qui
nostrae assertioni se opponunt. Quotusquisq;
enim Medicorum est, qui exacte defini-
erit Pestem, nulla Contagij mentione facta?
Etenim quam fingemus notam magis pro-
priam, qua Pestem à reliquis omnibus e-
gritudinibus disternare queat, praeter
perniciosissimam illam contagionem? An
quod communis sit plurimis? minimè: mul-
tos enim hoc nomine similes inuenies, qua-
les sunt Variola & Morbilli dicti: Catar-
rhus quinetiam, qui ante biennium paucos
admodum in tota ferè Europa intactos reli-
quit. An quod lethalis sit? neutiquam: oc-
currunt namq; febres maligna, ex aeris pra-
uitate, communes pariter & perniciose, sine
Peste tamen, hac de causa à Galeno Pestilen-
tes sine Peste uocatur. in 3. Epid. com. 57. &
3. de prasag. ex puls. cap. 4. Ut igitur Medi-
ci coacti sunt in definitione Pestis, quò plena
esset, Contagioni locum dare: ita qui eam
dem

dem subduxerunt, aut ablatam restituunt,
aut mutilata definitione Pestē è natura tol-
lant necesse est.

Mirari satis nequeo, quid in mentem
hominibus illis uenerit, qui certissimum Pe-
stis signum, ab ipsa essentia & natura rei pe-
titum, auferre, atq; à Peste uiolenter diuul-
lere presumunt, non maiori successu, ac si ni-
uem atram, glaciem calidam, ignem frigidū
nobis proponere conarentur.

Examinent, obsecro, definitionem Conta-
gij attentius, eiq; experientiam adiungant:
quod si fecerint, non negabunt, reclamanti-
bus omnibus sanè iudicantibus, modò sensus
in consilium adhibeant, longè citius eos, qui
aegris conuersantur, labem pestiferam contra-
here, quàm alios longo interuallo distitos. Cō-
trahunt, inquit, sed quia ad malum hoc per
se proclives fuerunt, ob propriū corporis mor-
bidam constitutionem. Optandum esset, id
tam uerè, quàm speciosè dici. Quomodo ima-
ginari fas est, integras familias & conciuēs
plurimos, obstructionibus, & humorum pra-
uorum copia pariter grauari, ut tam exitia-
li puiredini obnoxij sint? uel si aeris malitiā
pretendis,

pretendis, quid obstat, quo minus omnes illos, qui cum ab agrorum conuictu longo tempore seiuncti uiuerent, incolumes erant, accedentes uerò statim afficiebantur, iam pridè simul & semel corripuerit: quum & procliuues fuerint, & aeris inspiratione, non minus quàm agri, opus habuerint? Nihil habebis quod dicas, nisi sanum ab agro eiusdem mali participem reddi. At quomodo particeps fiet, nisi communicata morbi causa? quomodo hæc communicabitur, nisi mota de loco in locum? quomodo mouebitur, nisi corpus sit, non quidem solidum (quod sensuum iudicio ab hac re alienum est) sed humoris uel uaporis naturam adeptum. Sed huius substantie, cuius talis tantaq; efficacia est, translatio ab uno in aliud, quid aliud est, quàm Cōtagio: quod nomen morbo illi, qui hanc profert, indere licebit, si Contagiosum nuncupare non placeat?

Si ad Contagium summam putredinem requiris: illa, si usquam alibi, in Peste reperitur infestissima, seq; haud rarò teterrimo fœtore palàm dat. Si uaporem calidum exigis, is è uiuo corpore, non solùm per expirationē,

D uerùm

uerum etiam per transpirationem, quin exeat, nihil uetat. Si tenuem, acrem & malignum postulas: alius esse nequit, qui celerissime & uelut in ictu oculi, in uita praecipua domicilia sese ingerit, uires ita aggreditur, ut, breuissima commissa pugna, succumbant. Si denique, tenacem desideras: eiusmodi proculdubio est, quem efficacissimis pharmacis aluum, sudorem, urinas cientibus, ite phlebotomia, cucurbitulis alijsq; praesidijs, uix, imò ne uix quidem expellere possibile est: qui etiam si uel plurima, quod rarum est, eijciatur, semper uestes suas spoliaq; secum aufert, humores uidelicet & spiritus, quibus penitus agglutinatus est. Haec si admittas uniuersa, aut pedibus in nostram sententiam ibis, aut aliud excogitabis, quod, Contagio necessarium cum sit, in Peste nequaquam appareat.

Veniant cuiq; in mentem ueterum & recentiorum historiae, suaq; observationes, de omnibus, quotquot usquã & unquã acciderunt, pestibus: uidebit, nisi me animus fallit, in hac lue tres Contagionũ differentias, quarum in alijs morbis unica aut duae duntaxat occurrunt. Tanta enim huius ueneri pernicies,

vicies, uel maximè contrectatione & attritu, non secus ac fructuum putrilago, propagatur. Anno 1514. uisa est talis Contagio in Italia, quæ in boues solum irrepit, primò circa Forouliensem tractum, mox sensim & ad Euganeos delata, atq; inde in agrum Veronensem: abstinere ab initio bos à cibo sine causa manifesta, spectantibus autem in ora eorum bubulcis, asperitas quædam & parua pustula percipiebantur in palato & ore toto. Separare protenus infectum à reliquo armento oportebat, alioqui totum inficiebatur. Paulatim labes illa descendebat in armos, & inde ad pedes: ac quibus ea permutatio fiebat, sanabantur ferè omnes: quibus autem non fiebat, magna ex parte interibant. Deinde relicta in fomite uirulentia, per ipsum contagiosa est Pestis. Fomiteem appello lectulos, uestes, ligna & id genus alia, quæ incorrupta quidem ipsa cum existant, conseruare nihilominus Contagionis seminaria prima, indeq; corpus aliud afficere apta sunt. Cuius rei exemplum illustre anno 1511. uisum est, quum per Germanos Verona teneretur: exorta enim Peste, qua hominum ferè decem

D 2 millia

milia periere, ex una ueste pellicea non pau-
ciores, quã quinq; & uiginti Teutones obie-
runt, propterea quòd uno defuncto, alius eã
indueret uestem, & hoc alius & alius, donec
è tot funeribus prudentiores redditi, uestem
combussere. Tandem infectionem lethalem
Pestis ad distans, interueniente aere, sapissi-
mè disseminat, atq; domum ingressis, uisita-
tionem beneficam uenefica mercede recom-
pensat. Quod ex Historia Thucydidis de Pe-
ste, quæ in belli Peloponnesiaci tempus inci-
dit, liquet: & utinam nostro seculo probatio-
ne aliqua egeret.

Nemo inficias iuerit, aeris $\mu\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha\tau\alpha$, un-
decunq;, siue à siderum positu aut motu, or-
ta: siue è terra cauernis prodeuntia, corpus
nostrum hac labe inficere. Quam igitur illi,
qui sponte hoc largiuntur, diuersitatis ratio-
nem adferent, cur nostrã, nulla in parte ma-
gis à uero dissentientem, opinionem difficilli-
mè sibi extorqueri patiantur, ut nobis iũ cre-
dant, non minus è corpore agro, quàm è ter-
ra uel aere, uenenum hoc pestiferum hauri-
ri posse. Idem, quantum ego uideo, penetratio-
nis modus utrobq; locum habet (de causa
exim,

enim, quòd eadē sit, superius lis sublata est) siue seminaria è minutis poris, uenis & arterijs in maiores serpant, ex his in alias, ex angustioribus in ampliores uias (quod aerea natura est) continuo sese diffundendo, & (quod maligna substantia est) uicinos semper spiritus & humores aptos, in sua prauitatis seminaria permutando, donec tota moles inficiatur: siue attrahantur, tum in spiratione per anhelitum, tum transpiratione per arteriarum diastolen, unà cum aere, & deinceps agglutinentur spiritibus atq; humoribus, ita ut hi contrarium refugientes, inimicum secum ad cor, calore suo non parum ad hanc rē conferens, inuiti inuitent atq; deducāt. Imò, si rem suo momento ponderare libuerit, conspicuum erit, longè maius periculum à contactu agrorum imminere, quàm ab aere: propterea quòd calentia atq; recentia mali semina à parte contactata & uniuersi corporis perspiratione prodeuntia, corpori attractantis inserat. Neminem uerò latere potest eruditum, omne uenenum qualitate aliqua actiua armatum, maximè calore, ualentius uires suas corpori imprimere.

Longè æquius ferendum esset, si ex albo contagiosorum morborum expungerent aduersarij uariolas, morbillos, lippitudinem, phthisin, porriginem, scabiem, lepram, papulas, achores, areas, luem ueneream: quorum malignitatem multis parasangis post se relinquit Pests. Hebraeis interdictum erat, in illis cubiculis uersari, ubi mulieres menstruatæ mundabantur, quòd timerent aerem fœdum uiros posse inficere. quãtò magis nos existimabimus periculosum esse, agris cohabitare, in adibus illis diutius consistere, in quibus Peste correptos esse quosdam cognouimus.

Quid putas respondebunt antagonista nostri, si obijciamus præstantissimum illud præseruationis remediũ, tot iam seculis celebratum, usquẽ longissimo comprobatum: nempe citò longeq; recedendum, ac tardè in pestilenti constitutione redeundum? Ridebunt ne illos medicos, qui consulunt,

— Latos stipularum incendere campos,
Et nemora intacta & sanctos exurere lucos:
item fenestras, quæ regiones aut domos infectas spectant, occludere: auersam partem habitare: omnia, quæ pestilentes tractarunt.

nisi

nisi probè alterata atq; ventilata, cauere? de
testabuntur ne Respub. illas, quæ consuetudi
ne & legibus sanciant, ut supellex uniuersa
domus affecta igni concremetur, hæredibus
è publico satisfiat?

Desinant igitur ueritati sese pertinaciter
opponere, nisi sole splendete cecutire malint:
nisi & ueteres & recentiores Medicos, Phi
losophos atq; Historicos, nostræ opinionis as
sertores, aduersum se, subsidiariam acie strue
re optent: Hippocratem, inquam, Galenum,
Aristotelem, Basilium Magnum, Thucydide
dem & sexcentos alios: quorum testimonia
referre, presens locus & tempus nec postu
lat, nec patitur.

Atq; his rationibus nõ dubito quosdam
captos atq; compulsos, ut ex aduersis in no
stra transuolarint castra: alios tamẽ super
esse persuasum habeo, qui pugnandi finẽ mi
nimè facturi sunt, quantumuis telis nostris
uulnerati: nisi arma, quæ strenuè in nos ui
brant, ipsis eripiantur, atq; diligenter prospici
ciatur, ne proprij gladij aciem in nosmet re
torqueant. Horũ autem tripartitus est exer
citus: primus uulgi, secundus Theologorum,

D 4 tertius

tertius Medicorum: quorum omnium, eo, quo collocati sunt, ordine, quantum in nobis est, impressionibus scutum obijciemus.

Putant quidam perperam iudicantes, hac hypothese, Pestem contagiosam esse, posita, omnia societatis humanae uincula dissolui: multis scandalum preberi, atque occasionem dari, metu contagij pestiferi stationem suam, in quam quisque à Deo collocatus est, deserendi. Digna, mehercule, rudi uulgo ratiocinatio, cuius peruersum iudicium nisi ueritati praeualeret, luce meridiana clarius esset: scandalum, quod pretendunt, non datum, sed acceptum esse, debebant potius, contagionis pestiferæ discrimine aestimato, cum natura & Christianæ charitatis lege, auream mediocritatem sedulo sectari, atque operam dare, ne uel temerè consisterent, uel timidè aut impiè secederent: quàm arrepto fundamento, quod uerius non est, quàm aquam non madefacere, ineptas ex eo conclusiones deducere, stultæ audaciæ fenestras aperire, ut multi se precipites in perniciem dent, & tantum non suis manibus nefariè sibi mortem consciscant.

Impietatis crimine nos purgauimus: at il
li per-

li pergunt uanitatis nos insimulare. frustra
etenim quæri clamant, an contagiosa sit Pe-
stis, cum id, quod à Deo constitutum est, ne-
mo declinare aut effugere possit. Sed non ui-
dent, quantam rerum diuinarum & huma-
narum inscitiam hoc modo palàm faciant.
Quid' nisi de Peste solidè ratiocinantur, de
omnibus mortis secundis causis idem affir-
mare liceat? age igitur, neq; comedamus, ne-
que bibamus, neq; remedia aduersus ullos
morbos queramus: inermes etiam milites in
aciem prodeant, quoniã euitari mors à Deo
præfinita nequit. Atqui hoc Deum esset fla-
gitiosè tentare. A quo scelere ut alieni si-
mus, utamur medijs, quæ, non minus in Pe-
ste, quàm in alijs morbis & periculis, à Deo
ordinata esse, natura & recta ratio dictat:
non ut Deo obsistamus, aut spem uitæ in præ-
sidijs terrenis ponamus, sed ut salua conscien-
tia tempus à Deo præuisum expectemus. No-
uit Dominus, quoniam in fame Aegyptiaca
& bello Assyriaco sub Ezechia interituri e-
rant, nec propterea desinebat Iosephus Aegy-
ptijs annona prouidere, & Ezechias unà cū
Esaiâ urbis mœnibus sese tueri.

D S

Validissi.

Validissimum adhuc vulgi argumentum
superest, quo se prosternere nos posse, si Dijs
placet, confidunt. Si, inquiunt, contagiosa es-
set Pests, omnes qui agris conuersantur, pro-
miscuè corriperentur. At experientia testis
est, medicos, chirurgos, uerbi ministros, & cō-
plures alios impunè agros accedere, omnis
generis officia præstare, adeoq̄, manus frequē-
ter admouere. Tales sunt cogitationes vulgi,
quia vulgus est. Quod si rectè philosophare-
tur, intelligeret in omni actione, præsertim si
certi cuiusdam gratia futura sit, tria requi-
ri, agentis facultatem, materie aptitudinē,
& conuenientem applicationem, qua conta-
ctus, situs, mora, & in quibusdā organa com-
prehenduntur. Nam hæc omnia si legitimè
conspirent, agens & patiens analogæ nuncu-
pantur, & actio sperata contingit: secus au-
tem, sublata analogia frustratur. Quod si no-
stro proposito accommodetur, promptum erit
intellectu, non hebetatum admodum & re-
tusum esse oportere uenenum pestilens, quod
contagionem in alterū apporet, siue diutur-
nitate temporis, siue remedijs ad hoc accom-
modatis, calore, frigore intenso, suffitu, flam-
mis

mis & alijs. Deinde apertum erit, quātum-
uis efficax Contagij seminarium existat, im-
pressiones eius potissimum recipi in corpore
calido (maximè uerò si humidum quoq; exi-
stat) raro item & laxo (qualis est habitus
puerorum, iuuenum & mulierum) humori-
bus prauis putredini obnoxijs referto & ob-
structo: deniq; secreta quadam atq; effata
difficili proprietate ad Pestem procliu: cui
qui refragatur, uix habet, quod dicat, ubi
queritur, cur maximè sani & benè habiti, se-
mel duntaxat agro conuersantes, è uestigio
corripiantur, alij uerò diutissimè cohabitantes,
etiam cacochymici, immunes euadant?
cur item multa hominum millia hæc lues
pessundet, quos uniuersos & singulos euiden-
ti modo dispositos fuisse, qui dixerit, quiduis
dixerit. Adde postremò, certa mora, calore
suscitante, & agitatione quadam opus esse,
ut infectio disseminetur: nec uanum esse illo-
rum consilium, qui leuiter inspirare, expira-
re ualentius, auersa fronte, colloquentibus
cum agrote suadet. Hæc omnia si perpendis-
sent aduersarij, agnouissent iam dudū, plum-
beum esse, non ferreum argumentum quod
obijciunt.

obijciunt. Verum ne immemor esse uidear,
mibi cum uulgo philosophia ignaro rem esse,
iubebo illos in similibus animum circumferre.
Nunquid enim negabunt ignem combu-
rendi ui donatum esse, quod scintilla exigua
ligni molem magnam non absument: quod
ex lapidibus, terra, aqua & alijs, quæ prorsus
inepta sunt combustioni, satis magnus
ignis flammam non suscitet: quod denique sti-
pulas, stupas, & alia idonea quidem, quæ
ignem & flammam concipiant, interpositi
impedimenti, puta muri aut saxi, causa, non
accendat? Si hæc quotidie circa admiratio-
nem intuentur, quomodo stuporem illis in-
cutit, quod eos, qui nec abdito, nec manifesto
modo ad excipiendam Contagem pestilen-
tem proni sunt, quiq; aut προφυλακτικῶν si-
bi prospexere, aut θεεργαστικῶν tempestiuè
usi, perniciæi restitère, exitium hoc effugere
uideant? Admonendi quoque hi uidentur,
ut paulò religiosius de liberrima Dei poten-
tia sentiant & loquantur, cogitentq; Deum
Opt. Max. naturales causas & earum effe-
cta, prout ipsi libet, regere ac moderari, at-
que hinc euenire, ut Contagium ne quidem
omnes

omnes ipsi naturaliter subiectos afficiat. Interim non statuunt, è natura in uniuersum sublatum esse, quod Deus singulari clementia, à certis hominibus, ijs præsertim, qui muneris rationem habentes, mortis metu non franguntur, auertit. Psalmo 91. credentibus promittitur, quòd impunè super aspidas & basiliscos ambulent. À morsu uiperæ nihil mali sensit Paulus Act. 28. Apostolis & discipulis prædicitur, nullã illis noxã illatura uenena, Marci 16. An tu ex his rectè extruxeris, lethalia nõ esse hæc omnia, & præsentissima uenena? Ita dum audis, à lateribus eius, qui Altissimum refugium suum posuit, ipso incolumi relicto, mille & decem millia cadere: longè rectius feceris, si agnoscas stupendũ miraculum, quod in piorum conseruatione, & contagionis, potentissime alioqui, repressione & moderatione, relucet: atque si illius uim pernegans, plus potentie Diuina adimas, quàm præuisioni adscribas. In quam sententiam in Psalmo allegato canentem introducit Prophetam Regium Poeta pietatis & uena nomine nunquam satis laudatus:

Mille tuo quanquam lateri uicina uidebis
Corpora

Corpora pestifero liuore perempta, decemq;
 Ad dextram cernes sociorum millia sterni,
 Dum lue correptis circumdatus undiq; tectis,
 Ingeniē numeras stragem discrimine nullo
 Aetatis sexusq;, tot uno funera ferri
 Mæsta die, totas explere cadauera fossas,
 Agricolis pagos, uastari ciuibus urbes,
 Cū senibus iuuenes, cū prole perire parētes,
 Fluxa sub Autūno Borea ceu flāte per hortos
 Lapsa cadūt folia aut messoris gramina fal-
 Nō tamē ulla tibi cōtagia, nulla nocebūt (ce:
 Dāna tuis, nō iste tuas p̄cussor ad edes (Etas
 Ense propinquabit, quas agni sanguine tin-
 Viderit, hic posita est grassantis meta furori.

Nunc tempestiuum est, ut Theologorū ra-
 tiones discutiamus. Hi multum in eo sudāt,
 ut conuincant Dei prouidentia Pestem im-

a Psal. 88. mitti, interdum etiam per^a angelos: ideoq;
 b. Paral. 21. b Manum Dei, c Gladiū Dei, d Sagittas Dei,
 Ezech. 9. nuncupari: & Hebraicum Pestis nomen De-
 b 2. Sap. 24. uer, à Damar, quod significat, à Deo lata sen-
 c 1. Paral. 21. tentia perdere, deduci confirmāt: atq; ex his
 d Psal. 91. omnibus confici opinantur, non posse à con-
 tagione proficisci Pestem: eamq; contagiosam
 pronunciare, idem esse ac si dicamus, Dei ma-

num,

num, gladium, sagittas contagione vulnerare
re: & angelos contagiosos esse. Caterum si
perflua est diligentia, in eo probando, quod
nemo pius negat: negligentia uero aut simu-
lationis insidiosa notam uix effugiunt, quod
ubi res confirmationē desiderat, sicco pede
transeunt. Neque enim, si demus, Diuina pro-
uidentia, siue per angelos, siue aliter Pestem
immitti: propterea coacti concedemus, à con-
tagio illam non proficisci. Vel (quod eadem
ratio pari robore euincit) nullam causam se-
cundā eam agnoscere. Nam cum omnes mor-
bi, perinde ac Pestis, pœna à Deo decreta sint.
si isto modo concludentes acceptaremus, uni-
uersis morborum causis in fumum redactis,
totam artem Medicam funditus eueri pa-
teremur. Etenim formas & causas ipsorum
morborum, quatenus nature legibus à Deo
definitis gubernantur, Physicorum est ac Me-
dicorum perscrutari, eorundemq; progressus
& exitus presagire, naturalibus remedijs
tum anteuertere, tum profligare. quæ felici-
ter adeò neutiquam Medici assequerentur,
si nullæ essent morborum causa ratione per-
uestigabiles. Theologica considerationis sunt
aegritudi-

agritudinum & aliarum calamitatum cau-
se supernaturales. Ex quo fonte nō negamus
discendum esse, lōgius quā ante pedes pro-
spicere, altius assurgere, quādo de pœnis Di-
uinis uitandis aut depellendis agitur: sed
constanter credimus, ueram ac primariam
illarum causam esse peccata nostra, quibus
prouocatus Deus, omnes illas, quas uult, infe-
riores causas aduersus nos cieat & excitet,
ut iustis pœnis mortales coerceat & in officio
contineat. Vident igitur, qui hoc argumento
nobis negocium exhibent, non esse pugnan-
tia hæc causarum genera, sed succenturiata.
Fatemur libenter, inter naturales causas nō
recenseri Angelos: sed quid prohibet, Deo sic
iubente, inferiores causas ab ipsis adhiberi?
Quemadmodum enim uoluntatem actionū
humanarum causam esse, non inficiatur scri-
ptura, dum à malis angelis regi impios quos-
dam asserit: ita & nos omni culpa uacabi-
mus, si interuenientibus rebus naturalibus,
Pestem ab Angelis infligi pronunciemus: ut-
pote quam remedijs physicis non modò miti-
gari, sed & tolli, experientia demonstrat. Ve-
rum enim uerò etsi admittamus exempla illa
Pestium

Pestium, quæ adferunt contagione caruisse,
quid hinc ad illos commodi redibit? Sanè si
propterea omnem Pestem hac efficacia spolia
uerint, non minus absurdè colligent, quàm si
contenderint, nullum grandinè, nullum im-
brem, nullum fulmè naturali ordine gigni,
quoniam Angelorum ministerio grandinas-
se, uehementissimos uentos flauisse, & horri-
biliter tonuisse, multis Scripturæ locis cõpro-
batur. Taceo quòd uerbum diuinum exem-
pla suppeditat Pestis à Deo immisse, nulla fa-
cta Angelorum mentione: quòd item Do-
minus non semel Pestem minetur peccatori-
bus per Moysen & Prophetas alios (quas
comminationes irritas aut inanes fuisse, ego
non ausim dicere) per Angelos tamen sese
illam missurū, non semper commemorat. Pa-
ri pacto, quando Pestem Dei Manum, Gla-
dium uel Sagittam, cum uerbo Dei appella-
mus, meminisse nos decet, Metaphoricas es-
se has locutiones, quibus non natura Pestis,
sed supernaturales eius causa exprimentur:
quo posito, manifestum est, infirma ratione
niti illos, qui his scripturæ oraculis, aut con-
tagiū & alias causas naturales excludi, aut

E Dei

Dei Manum, Gladium & Sagittam contā-
giosa esse, sibi persuadent. Nam David alibi
Dei Manum uocat hostes suos, qui nihilomi-
nus naturali ratione ipsum impetebant: &
cum dicitur Dei Manus nos fecisse, natu-
ralis à Deo ordinata sobolis procreatio non
tollitur. Addo & hoc: sagittas in Scripturis
uocari, quæcumq; mala Dominus, siue Ange-
lorum, siue nature ministerio utens, immit-
tit. Postremò interrogandi nobis erunt ad-
uersæ partis defensores, an non etiã Elephan-
tiasis seu Lepra, & Lues ueneræ (siquidem
non est malum in ciuitate, quod non facit
Dominus) uerè Manus, Gladius & Sagitta
Dei appellari possint? an non ijdem morbi
manifestissima contagione aegris cohabitan-
tes inficiant? si illos in contagiosorum morbo-
rum consortium recipiunt, qua fronte Pestem
exterminant?

Supersunt adhuc Medicorum argumen-
ta: inter quæ non referam illud, quod à
quibusdam in descriptione Pestis silentio
obuoluatur contagium. uidimus enim re-
rò, quo successu id fiat, & notum est in philo-
sophia tacentes testimonium non ferre, uel,
quod

quod perinde est, negantia argumenta ab
autoritate ducta punctum non mereri.

Maioris momenti est inconueniens illud,
quod nonnullis consequi uidetur, si ullus mor-
bus contagiosus esse censeatur. Si enim, in-
quiunt, absque materia morbifica morbus
transfundatur, dispositio atq; accidens ali-
quod subiecto destituetur: si uero cum mate-
ria, subiectum etiamnum proprium, corpus
scilicet uiuens, deserat oportet. Verum illi in
memoriam reuocatis ijs, quæ in orationis no-
stræ limine, de questionis sententia diximus,
æquiores nobis erunt, ut spero. Nam contro-
uersiæ caput est, An à corpore peste infecto ex-
halare possit materia, cuius particeps factum
aliud, morbum similis perniciæ contrahat?
cuius questionis affirmanti pariter nostrum
suffragium addentes, in uera philosophia &
medicinæ leges minimè impingimus. Quod
si eundem numero (ut Dialecticè loquar) mor-
bum ex uno in aliud uelut transplantari cre-
deremus, difficultate proposita nos captos om-
nino tenerent aduersarij, nullamq; elabendi
spem relinquerent.

Sed ne sic quidem nos dimittunt. Nam

E 2

eandem

eandem in presentia iudicant esse conditio-
nem Sanitatis & Morbi: cumq; nulla lege
Sanitas unius corporis alteri comunicetur,
nec Morbo hoc privilegium concedi debere
aiunt. At secus rem habere Aristoteles con-
firmat, in septima problematū sectione, pro-
blemate quarto, his uerbis: ἢ μὲν νόσος ἐκ κίνη-
σεως, ἢ ἵψυγία ἢ περιμία: ἢ μὲν ἐν κινεῖ, ἢ δ' ἐδ' αὖ.
de quorum uerborum interpretatione, licet
ab Eruditissimis uiris ultrò citroq; discepte-
tur, nihil tamen ad institutum nostrum atti-
net plenius rimari. nobis abundè satisfiet,
ubi id uerissimè dici quiuis nouerit, quòd
Morbi, cum excessus quidam sint nature in-
fensi, corpus, humores & spiritus suo loco
quiescere non sinant: sed omnia commoue-
ant, permisceant, confundant & turbent,
quæ per sanitatem (quòd mediocritas qua-
dam sit, nobis congenita & familiaris) aut
quiescunt penitus, aut non inordinatè exagi-
tantur. Iam uerò in turbulenta ista commo-
tione, si materia quæpiã ab agroto, exitiosa
qualitate prædita, qualè antè descripsimus,
ad alios transeat: nemini offensionem erimus
dicētes, nonnullos morbos per Contagionem
ab

ab uno in alium serpere. Neq; omni ex parte
cum ijs consentimus, qui unius sanitatem al-
teri nihil commodare posse aiunt. Quid enim
obstat, quo minus homo aliquis egregie sa-
nus, halitus fundat perinde temperatos, atq;
eger intemperatos? quid impedit, quo mi-
nus, quemadmodum hi integros spiritus de-
prauant, ita illi uitiosos corrigant? Certum
est, citius ualitudinem bonam recuperare il-
los, qui cum sanis ac bene habitis uiuunt: le-
ctos, pannos, uestes, uasa, edes & id genus a-
lia munda habent & repurgata: modo in ce-
teris nulla sit disparitas. Cur Galenus consu-
lit, ijs qui imbecilli sunt uentriculo, boni ha-
bitus puellum pectori admouere, si nihil opis
suaves temperatiq; halitus adferunt? Cur
temperate caliditatis fomenta stomachi in-
firmitati succurrunt, nisi quia calorem insi-
tum fouent? Cauendum itaq; est, ne decipia-
mur, & persuaderi nobis sinamus, sanitatē
ocio penitus torpere, eo quod sanos ab agris
promptius inquinari, quam hos ab illis me-
liores reddi, conspiciamus. halitus enim mor-
bidi sanorum expirationibus longē poten-
tiores sunt, utpote quos uires corporis omnes
E 3 prohibere

prohibere nequiverunt: & in omnibus facilius est bonum corrumpi, quam malum corrigi.

Proprio nos gladio iugulare student, qui naturam Cause contagii supra expositam, nostrae opinioni aduersari clamant, atque multis inconuenientibus ex hypothesis illa confictis nos obruant: quibus singulis, perspicuitatis causa occurremus. Si, inquiunt, Contagii seminariū uapor est, sursum statim, quò natura fert, euolabit, deorsum uerò & ad latera corpora munda contaminaturum minime dispergetur. Validissime hoc Ariete muros nostros ferirent, si rei cuiuslibet nullus consideretur motus praeter illum, cuius natura ipsa effectrix est: at uerò mouentur praedicta seminaria, non secus atque alia corpora, partim per se, partim aliunde accepto motus principio, per se quidem non nisi sursum instar fumi tolluntur: at obistente aere aut tabulato, aut alijs huiusmodi, in quae incidunt, ubi ultra progredi nequeunt, pelluntur & deorsum & in latera, ab ijs quae succedunt, & haec ab alijs, donec totum cubiculi siue habitationis aerem repleri contingat. Accedit & hoc, quòd aer euaporationem omnem, si te
nuis

nuis sit & bene solubilis, diuidit, etiam usq;
ad minimas particulas, ut interim proprias
partes continuando, suae integritati consu-
lat: unde accidit, euaporationes quae circa cō-
tagiones eueniunt, circumquaq; deferri. In
quotidiano usu obseruamus, capam halitu
suo lachrymas excutere etiam è longinquo:
piper, iridem, ptarmicam sternutamentum
mouere; crocum, solanum somnum concilia-
re: metallicorum tractatione homines epile-
pticos fieri. quid ergo rei est, quòd labem pesti-
feram longè lateq; spargi non credimus?

Qui fieri potest, inquiunt, ut tantillae par-
ticulae, duritiei expertes, in medio aere citra
alterationem consistant? Habent, fateor, hoc
pra alijis corpora dura, quòd fortiter alteran-
tium iniurijs resistent, tum quia plus mate-
riae in pauca quantitate nacta sunt: tum
quia, ob terrae excessum, maiore frigiditate
donantur: tum deniq; quòd adiuumento den-
sitate, rare fieri & subtiliora reddi haud fa-
cile queunt. Caeterum istud dura non tam pe-
culiariter sibi uendicant, ut lentis atq; glutin-
osis Pestis seminarijs idē prorsus denegent:
praesertim cum cognatione aliqua deuincta

E 4. sint

sint duris. propter perfectam enim agitatio-
nem, & ex minutissimis, arte admodum in-
vicem coherentibus particulis missionem, ex-
terius ingressura alterantia & disycientia,
perinde ac dura, non libenter intrmittunt,
si mediocria saltem fuerint alterantia. Nam
quod ab alijs nimio robore oppugnantibus
ita eneruentur, ut fractis viribus succumbant
& palmam cedant, nemo prudens dubita-
uerit.

Longè difficilior nobis fidem habent non-
nulli, ubi dicimus, Halitus istos virulentos
longo temporis spacio in fomite perdurare.
Quibus imprimis notum esse cupimus, non
quiduis aptum esse ut fomes fiat, sed illud so-
lum, quod foraminosum est, mediocriter ca-
lidum, aut parum frigidum: cuius farine
sunt, lana, panni, & lignorum aliqua. Econ-
tra idonea minimè esse, ferrum, lapides, &
eiusmodi frigida, poris destituta. Qua de
causa nimis simplices iurè habentur, qui nū-
mos ab infectis contrectatos attingere recu-
sant, nisi prius aceto madefacti & purgati
fuerint. Neq; intempestiuum admonitu est,
venenum, de quo sermo est, longè diutius ser-
uari,

uari, ubi nec uentorum, aut alterius agitatio-
nis ui fomites perflantur, nec arte aliqua
alterantur. Iamdudum enim omnium
medicorum obseruatio confirmauit, aduer-
sus ignem & immensum frigus uenenū hoc
non consistere. & Marsilius Ficinus non ue-
ritus est asserere, pannos atq; parietes spacio
uiginti dierum, si perspirentur, ab omni con-
tagio depurari. Quod si horum nihil inter-
cesserit, planè potest in fomite pestifera exha-
latio perniciem suam, multorum mensium,
ne dicam dierum, spacio occultare, & conta-
ctum hominis idonei expectare. Exemplis
non ineptis res clarior reddita, à captu no-
stro non resiliet. Vestes odorem uel fœtorem
contactu ita imbibunt, ut longo temporis in-
teruallo illum reseruent, nec nuda quidem il-
lic qualitate sine proprio subiecto existente,
sed unà admissis corpusculis minimis, uisum
& sensum omnem effugientibus. Quid fuli-
go & fumus parietibus obductus est aliud,
quàm durabilis quedam tinctura, ex mini-
marum particularum permistione & adha-
sionata? Harum rerum in uniuersum si quis
à nobis rationem requirat, hoc responsi feret.

E S summam

summam subtilitatem in causa esse, qua sese
in minimos recessus & occultas latebras insi-
ruant atque abduunt euaporationes istae, cui
suppetias fert fortis mistio & lentor, de qui-
bus egimus, ut neq; aeri subiecta sint, neque
aliorum alterationibus pateant. Theophra-
stus lib. 9. de hist. Plant. cap. 16. autor est, ue-
nenorum preparationem inuentam esse, ut
per tres quatuorue menses in corpore hereant
citra lesionis indicium. Rabidi canis uene-
num in membris commorsis aut alibi delite-
scere per semestre uel annum integrum, Ga-
lenus & Auicenna testes sunt. Albertus
Magnus lib. 7. de Animalibus, cap. 2. quibus-
dam anno tandem duodecimo uirus hoc eru-
pisse scribit. Alpharabius etiam quadra-
ginta annos idem circumgestatum esse, an-
tequam se proderet, experientia edoctus con-
firmat. In hunc modum, si uenenum in hu-
mano corpore, ubi calorem natium & na-
turam corporis gubernatricem perpetuo con-
tra se dimicantem habet, latens & tectum
conseruatur: quid dubitamus, in fomite ho-
spitem hunc, hoste nullo obsistente, quietum
degere?

Quiduis

Quiduis nobis condonare malunt, quàm
ex uno fomite in alium progredi exhalatio-
nes illas, quæ tenaces existunt: quod tamen
eum concedere oportet, qui fomitis attrecta-
tione Pestem contrahi asserit. Visuntur enim
haud rarò, qui non primùm corpore, sed ue-
stibus solum infectos pannos attingentes, la-
be hac contaminantur. At hoc quoq; condo-
nabūt, re animaduersa: quòd scilicet nō sua
sponte torpida illa substantia agglutinataq;
sedem priorem deserat, sed caloris atq; com-
motionis ope attenuata hospitio eijciatur, ut
deinceps alium fomitem inquinet.

Qui uident à sanorū consuetudine quos-
dam infici, contagionem omnem abesse iu-
rant, eo quòd intelligere nequeant, quī fiat,
si in uestibus sani luis semina delitescant,
quòd nulla proximo illata noxa, in alium ui-
res suas exerceat. Certè in negotio leui se ni-
miùm torquent. Namq; in indumentis aut
excrementis uenenum pestiferum quin abs-
que offensa circumferre possit aliquis, ad Pe-
stem minimè procluis, non uideo quid pro-
hibeat: in membris autem uiuentibus ip-
sum gradū diu sistere, qui autumat, is cōsen-
tientem

tientem me minimè habebit. Quomodo
namq; in proprio subiecto, corpore uiuo, in-
efficax esset, quod in aliud dissitum agit?

Putridum, calidum & acrem halitum
Contagij causam constitutumus: quo arrepto,
qui litem nobis intendunt, euersum iri pro-
positum nostrum arbitrantur: nisi, relicto
sensuum iudicio, concesserimus, Febres om-
nes putridas, aliosq; morbos Peste ardentio-
res & acutiores contagiosos esse. Nulla pro-
fectò aptior est contagioni inferenda euapo-
ratio, quàm quæ in putrefactionibus nasci-
tur: modò accedat acumen, potentia maxi-
ma agendi, lentor atq; elaborata mistio. At-
qui pestilentes morbi non putridam modò
exhalationem spirant, sed summè putri-
dam, uite nostræ infestissimam: quinetiam
(quod maximi momenti est) glutinosam
atq; subtilem, quæ subito altas firmiterq; hæ-
rentes radices agit: quod sanè qui de feбри-
bus putridis alijsq; aegritudinibus plurimis
pronunciat, toto cælo errat. Vnicum uice
omnium exemplum febrium ardentium &
& biliosarum intueamur. In his multa qui-
dem euaporant: sed quia non admodum con-
clusa

clusa est putrefactio, & continuo exhalant,
que computruerunt superficiariae portiones,
antequam, constante perseveranteq; agitatio-
ne & missione, lentore aliquem contrahant:
seminaria haudquaquam contagiosa exi-
stunt.

Illud deniq; quod ueluti certissimum as-
sumunt, cuiusmodi ratione nititur? Aiunt,
causam Pestis ipsi proportione quadam re-
spondere: ideoq; par esse, ut non minus com-
munis effectrix sit, quam ipsum effectum. At
uero communis omnibus causa est aer nobis
effusus, non hominibus solum, sed cunctis san-
guine praeditis animantibus. Cum enim con-
ueniens spiritui pabulum praestet, fumosaq;
illius superuacua excipiat: tanta est aeris,
quem e caelo ducimus, necessitas, ut nec spiri-
tus sine aere, nec anima sine spiritu teneri
conseruariq; possit: Contagionis autem uis
longe angustioribus terminis circumscripta
est. Pestem ab aere corrupto procreari, multis
evidentissimisq; demonstrationibus confir-
mare possum & uolo: tantum abest, ut id ne-
gando subterfugium quaram. Imo longe exi-
tialiore Pestem una cum aere illo hauriri,
quam

quàm cōtactu solo fomitis alicuius, arbitror.
Nam tantò maior & efficacior inspirati ae-
ris ad contaminanda corpora vis est, quan-
tò uberiùs & uiolentiùs is intrò subit. Respi-
ratione primùm quidem os, nares, cerebrũ,
asperam arteriam, pulmones, cor, omnesq̃
arterias confertè implet: ex ijs dein in om-
ne corpus perflabile mox quasi momento
diffunditur, secumq̃ perniciem inuehit: ut
aere corrupto nihil miserabilius mortalibus
accidere possit. Ceterùm liceat nobis paulò al-
tius sumpto initio, huius rationis telam re-
texere. Non omnes uno modo Contagiones
sese habent. Alie namq̃ in nobis ab initio
nascuntur, alie extrinsecus primò ueniunt,
& factæ ab uno in alium propagantur. In
nobis tum hereditaria successione accepto ui-
tio, tum à cibis prauis prognato, seminaria
Contagionum principium ortus sui ducere:
in scabie, achoribus, phthisi, lepra & alijs
morbis, tam manifestum est, quàm quod ma-
nifestissimum. Extrinsecus ex aquis, terra
& aere Contagionem prouenire, fidem fa-
ciunt precedentia sepe numero indicia. Nam
quod ad aquas attinet: quum inundant flu-
mina

mina diuq̄, restagnant: quum loca paludosa
cœnosaq̄, relinquuntur: quum maria pisces
emortuos in littoribus deponunt: Pestes sub-
sequi non semel deprehensum est. Terra, ubi
insignem insectorum multitudinem pro-
fert, putrefactiones conceptas nunciare so-
let, qua nisi tota absumantur in animalia,
Pestem progenerare consueuerunt. Verisimi-
le est etiam, ipsa animalia, ubi commoriun-
tur, immensam corruptionem post se relin-
quere, semenq̄, accommodatissimum gene-
randa Pesti deponere. Quale quiddam in
Aphrica contigisse legimus, Anno 118,
delatis ad littora locustis, atq̄, ibi extinctis.
Similiter in Gallia euenisse, Anno 863, &
in Italia 1478 anno, in agro Ferrariensi,
Mantuano, Veronensi, Brixienti & vicinis
alijs, ab Historicis & Medicis memoria
mandatum est. Si exhalatio in terra uisce-
ribus conclusa non solum noxium quiddam
acquirit, sed ab ipsis putrefactionibus sub-
terraneis proficiscitur: terramotus nec incer-
tus uates, nec inefficax autor Pestis iure cen-
setur. Nonnunquam animalia quaedam sub
terris degentia ueneri lethiferi aduentum
nunciant,

nunciant, cum multa eorum è latibulis & proprijs laribus in apertum exeunt. de quibus signis Poeta eleganter in hunc modum ludit:

—Sæpe exiguus mus

Augurium tibi triste dabit, tellure sub ima
Quæ non ullus amor tenuit, sed in æra aptū
Erupit scrobibus, vitæq; atq; immemor usus,
Et paruos natos & dulcia tecta reliquit.
Ipsa etiam tellus, ceu non ignara futuri,
Quum tremit, atq; intus grauida suspirat
ab aluo,

Signa dabit: tremuere urbes, & uertice toto
Formidauit Athos, timuitq; sub æquore Ne-
reus.

Aerem pestis causam esse, dubitatione caret, quum aptissimus sit & proprias infectiones concipere, & alienas recipere, cumq; innumeri ferè in cælo & ære conspiciantur huius emissarij præcursores & comites. Quales sunt plurimum stellarum errantium in unam cæli partem frequentes conuentus & uelut comitia: maximè si prope stellas inerrantes insignis magnitudinis peragantur. Sublato enim, à cælestium corporum coniunctis

coniunctis uiribus uapore multo, humiditates nimia consequuntur, quae cum, exustione circa terram & aerem facta, consumuntur, siccitates putrefactionum pestiferarum genitrices subsequi consueuerunt. Attribuant etiam Astrologicarum predictionum sectatores haec portenta quibusdam planetarum aspectibus. Verum ego, an timendi, an negligendi sint, litem meam in praesentia non facio. Euidentiore sunt Pestis praesagia, quae ex aere petuntur: ut sunt, creberrima in summa eius regione incendia, Hypocausta dicta, cadentia sidera, cometae, traebes, & eius generis infinita alia. Quae omnia, cum ex fomite pingui & lento è terra sublato constant, metum pestis, non praeter meritum, mortalibus incutiunt. Idem faciunt Austri frequentiores & diuturniores, uenti à regionibus infectis flantes, aer fuscus & puluerulentus, solis facies longo temporis spacio tristis. Nec parui pendendum est illud pestiferi aeris indicium: quando sub dio reposita obsonia, lintea & similia marcorem quendam & situm celerrimè contrahunt, Sed quorsum, inquires, haec tam longè

F petita

biculum ueneno replet, ut iam pridem do-
cuimus? Parum certè aeris interest, an à ter-
ra, aquis, piscibus, cadaueribus putridis, aut
infectis hominibus inquinamenta concipi-
at: modo partum in corpore humano in lu-
cem edat. Cunctis ministerium suum offert,
ut mortalibus noxam inferat. Dum in super
Pestis genitorem aerem esse in assumptione
asserunt, non demonstrant, illud soli aeri con-
uenire. Imò, inquiunt, quia aer communis
causa est, & propterea communissimo morbo
generando aptissima. At ne hoc quidem, si
uniuersim generaliterq; efferatur, retrò com-
meat. Etenim plura rerum genera recensui-
mus, non minus latè patentia, quæ eadem le-
ge, æquissimis rationibus stabilita, hanc effi-
caciã sibi arrogant. Quinimò ipsum Con-
tagium, perinde ac Pests, commune quid-
dam est. Quoniam Pests communis nuncu-
patur, non quòd simul & semel multos det-
neci, sed quòd eius natura sit, ut plurimos, si-
ue confertim, siue paulatim inuadere queat:
atque hoc quidem Contagij uel, illud uerò uel
aeris solius efficacia, uel Contagij aduenien-
te subsidio, contingit.

His


His ita constitutis & ex utraq; parte exami-
natis, Confessus amplissime, sententiã no-
strã inconcussam, & ueritatis propugnaculis
probè munitã esse, ut omnes impressiones ho-
stiles contemnat, apertum fecimus: atq; Pe-
stem contagiosum esse morbum, quod
probasse oportuit, intrepidè
concludimus.

F I N I S.

*BASILEAE, EX OFFICINA
Oporiniana, Anno Salutis humane
M. D. LXXXIII. Mense
Martio.*

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to be arranged in several lines.







Ma 5990

(X 2203526)

TA 70L

MT





Ma 4301

Disputationes
duæ:
PRIOR,
DE SOMNO ET
VIGILIA:
POSTERIOR,
DE COMATE SEV
CATAPHORA: *Cataphora*
Habita in Auditorio Medicorum
BASILIENSIVM
ab
ANDREA CHRISTIANO
RIPENSI.
Adiuncta est QVAESTIO ab eo-
dem in publico Promotionis
Actu discussa:
Sit' ne pestis morbus contagiosus?
BASILEAE, TYPIS OPO-
rinianis. 1583.

6

